De M. Tulli Ciceronis libro, qui "Brutus de claris oratoribus" inscribitur.

M. T. Ciceronis scripta rhetorica nobis tradita sunt septem. Quae omnia, praeter librum qui "Rhetorica" inscribitur, vulgo autem "De Inventione" appellatur, atque immaturum adolescentiae opus est, inter annos ~~LV~~ quinquagesimum et quadragesimum quartum ante Ch. N. conscripta sunt. Quod temporis spatium cum in Ciceronis vita turbulentissimum fuisset, maturissimos ingenii eius fructus retulit. Nam cum anno quinquagesimo septimo Thessalonica atque Dyrrachio, ubi in exilio erat, Romam revertisset atque anno quinquagesimo tertio auguris munere functus esset, anno quinquagesimo primo in Ciliciam provinciam proconsul profectus est. Quo munere defunctus iterum cum Romam venisset, rempublicam bello civili inter Caesarem atque Pompeium turbatam invenit. Post multas dubitationes Pompei partes secutus est, sed pugna ad Pharsalum commissa, Brundisium revertit ibique victoris adventum exspectabat. A quo benigne exceptus, cum tamen omni se in republica administranda auctoritate priva-

tum vidisset, annos quadragesimum sextum et quintum in quiete invitus peregit, quo tempore "quaerenti atque multum et diu cogitanti," ut ipse ait (de divin. II, 1, 1), "quanam re posset prodesse quam plurimis, ne quando intermitteret consulere reipublicae, nulla maior occurrit, quam si optimarum artium vias civibus suis traderet."

Sic praeter scripta philosophica atque orationes anno LV de oratore libros tres conscripsit, XLVI Brutum, eodem anno librum qui "Orator ad M. Brutum" inscribitur, XLV "Partitiones oratorias, XLIV Topica, atque "de optimo genere oratorum". Quorum tres ab ipso Cicerone libri oratorii appellati maxima sunt auctoritate; qui sunt "de oratore libri tres", quartus Brutus, quintus Orator. Qui cum materiae similitudine, tum re, quam omnes unam spectant, tam arte sunt secum coniuncti, ut quasi unam trilogiam ~~trilogiam~~ formare videantur. At minime est intellegendum Ciceronem unam rem his tribus scriptis ita tractasse, ut primo pars prima, secundo secunda rei exponatur, sed contra ea, in tribus de oratore libris res tota fere exhausta est, et duo qui sequuntur libri ita de eo scripto pendent, ut factis rem illustrent, atque arti et eloquentiae historiam oratorum ~~et~~ et perfecti oratoris imaginem addant.

Quae scripta contra falsas quasdam dicendi rationes, maxime contra Atticorum qui dicebantur, vel potius pseudoatticorum dicendi genus sunt conversa, qui, ut Ciceronis verbis utar, ieiunitatem, siccitatem, inopiam, dummodo esset polita, dum urbana, dum elegans, in Atticorum genere ponebant. Quare conatur Cicero ostendere, quanti intersit oratorem non solum in illa scholari dialectica excellere, sed etiam, id quod maius est, omnis generis litterarum artiumque quam peritissimum esse, ut non tam rhetor, id est qui τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν possit, quam orator sit, id est qui doceat, ~~et~~ moveat, delectet. ~~Ut~~

Ut viam oratoribus, qua ad illustres virtutes advenirent, ostenderet, tribus de oratore libris totam bene dicendi artis rationem ita exposuit, ut primo libro de educatione, qua oratorem uti opus esset, et maxime de eloquentia plurimarum artium apparatu instruenda disputaret, secundo inveniendi atque partiendi, tertio eloquendi et agendi praecepta exponeret.

Instituta ratione, qua omnes qui ante se fuissent quique uno secum tempore viverent oratores iudicare ~~posset~~, Cicero Romanorum eloquentiae historiam in "Bruto" dedit, qua ortus et incrementa ~~huius~~ eius artis apud Romanos quam accuratissime examinavit, cum Graecorum

arte dicendi comparavit, et suum cuique oratorum locum designavit, quem quisque in hoc eloquentiae Romanae progressu iure tenere posset, quo ab illo rudi et simplici genere primorum oratorum ad illud excultum Ciceronis dicendi genus ~~vene~~, quod neque quisquam superavit, neque adeptus est, venerat, ~~iure tenere posset, designavit~~.

Tum demum, cum diversissima dicendi genera, multos inter se differentes atque discrepantes oratores eorumque virtutes erroresque demonstrasset, perfecti oratoris imaginem, imperfectis comparandis, virtutibus eorum in unum congregandis, nonnullis de suo ipsius ingenio additis, in libro, qui "Orator ad M. Brutum" inscribitur, adumbravit, qua sublimi atque egregia imagine, quam omnes spectant, pauci, vel potius nemo adepti sunt, magnam suam de arte, qua maxime homines a pecudibus ~~se~~ segregantur, trilogiam absolvit.

Postquam paucula de loco, quem ~~t~~ Brutus inter Ciceronis scripta rhetorica tenet, diximus, ad ipsum hunc librum accedamus.

Jam supra "Brutum" anno XLVI conscriptum esse diximus, quod ex illis locis elucet, quibus Cicero L. Torquatum, Lentulum, Calvum, qui anno XLVII vita decesserant, inter mortuos enumerat, Catonem autem Uticensem, qui mense Aprili anni XLVI post pugnam ad Thapsum commissam

morte voluntaria perierat, inter vivos ponit.
Nomen, quo hic liber inscribitur, cum ab ipso Cicerone, tum ab aliis scriptoribus satis designatum est. Ille enim Suetonii locus (Caes. 56) ~~alii~~ qui est: "Cicero ad M. Brutum oratores enumerans", non tam ad ~~eo~~ nomen, quam ad rem, quae libro tractatur pertinet. In § 57 eiusdem libri dicit ~~seo~~ Suetonius: Cicero in Bruto. Quod nomen hac re ab aliis eiusdem generis nominibus, ut Laelius de amicitia, Cato de senectute aliis, discernendum est, quod cum in illis libris Laelius, Cato, alii maxime dicant, in hoc Cicero ipse claros oratores ad M. Brutum enumerat.
Qui liber unum est nobis traditum scriptoris magni nominis opus, quo tam magna historiae litterarum pars, ut est eloquentiae historia, ab incrementis examinata atque per omnes mutationes ad finem perducta sit. Non tam eloquentiae autem haec potest dici historia, quam oratorum, nam non ipsa dicendi ars examinatur, sed omnes quicunque ab antiquissimis temporibus ad populum dixerant, enumerantur, atque suus cuique locus designatur. Qua in re Cicero Aristotelis exemplum secutus est, ~~ut ipse testatur~~, qui Rhetoricae suae historicum eloquentiae graecae conspectum adiecerat. Sic ipse in libro de div. II, 1, 4 dicit: "cumque Aristoteles itemque Theophrastus, excellentes viri tum subtilitate tum copia, cum philosophia dicendi etiam

praecepta coniunxerit, nostri quoque oratorii libri in eundem numerum referendi videantur. Et quo, ut id addam, sequitur, Theophrastum quoque, cuius nulla eius generis scripta tradita sunt, eandem materiam tractavisse. Sed id inter "Brutum" et Aristotelis τεχνῶν συναγωγήν positum est discriminis, quod ~~ut~~ cum Aristoteles varias dicendi rationes vel doctrinas exposuisset, Cicero colligere solum eos voluit, qui hoc munere in republica usi sunt, ut oratorum tenerent locum.

Ne potuit quidem Cicero de variis eloquentiae Romanae doctrinis disputare; nam ante se omnino nullae Romae erant doctrinae, sed unusquisque, qui se a natura bene dicendi facultate praeditum esse sentiebat, eo modo ~~in~~ ea facultate in republica administranda ~~atque~~ et in causis agendis utebatur, quo ~~natura~~ indole, moribus, educatione id facere poterat.

Ducenti fere enumerantur oratores, quorum multi aut nullam aut parvam in arte dicendi adepti erant laudem. Sed ~~a~~ ea nominum multitudine ~~demum~~ ostendere vult Cicero, quantopere iuventus Romana omnibus temporibus dicendi arti studuerit, quam sit ~~ea~~ difficile in ea excellere, quanta admiratione sint digni, qui in ea si non omnia at aliquid saltem adepti sint. Si multis maiores quam quibus digni erant laudes tribuit, eo id certe consilio fecit, ut

quam minime Romanos graecis in eloquentia cedere ostenderet. Quod iure facere poterat. Nam cum in historia scribenda tum in eloquentia parum ~~tali~~ mihi inferiores graecis esse a natura Romani videntur. Eae saltem sunt artes duae, quibus Romani multo maiorem proprietatis laudem quam in poesi et praesertim in philosophia adepti sunt. Romanorum haec erat civitas, quae persuadendo maxime gubernabatur et in qua viri bene dicendi facultate praediti summa utebantur auctoritate.

Quod eloquentia apud Romanos numquam ad talem perfectionis gradum adducta erat, quam eam apud Graecos adeptam esse videmus, id de multis causis pendet, de quibus neque locus nec copia mihi est disputandi. Si vero illud Quintiliani (X,1,8), quo M. Tullium, cum totum se ad Graecorum imitationem contulisset, Demosthenis vim, copiam Platonis, Isocratis iucunditatem effinxisse dicit, certe iusto maius est, at neque illa naturalis, ut ita dicam, quae ante Ciceronem erat, eloquentia, neque ea, quae, Graecorum praeceptis sano atque firmo Romanorum ingenio additis, condita erat, sunt ~~sint~~ omnino contemnendae.

Ad hoc propositum ut in Bruto quasi ingenii Romani splendor~~em~~ defend~~ere~~atur, aliud quoque accedit, qui est, ut cives ad diligentissima litterarum artiumque studia ~~inflammaret~~ inflammarentur.

quibus, ut ipse Cicero ait, f. perfectae eloquentiae fons contineatur. Eadem ea est, de qua tam multa in libris de oratore disputaverat, sed cum illic de educatione qua bonum oratorem uti vellet diceret, hic curriculis vitarum omnium excellentiorum oratorum et maxime sui ipsius narrandis, qualem educationem quanta laus secuta esset demonstravit, ut hic factis id comprobaret, quod illic ratione constituerat. Non solum enim virtutes oratorum laudat sed etiam, quid notandum atque animadvertendum sit in optimum quemque respicit, ut libri eius lectores cum quod imitentur tum quod vitent habeant. —

Nomina saepissime hoc ordine enumerantur, quo quisque oratorum vixerat. Quare re maxime Ciceroni adiumento Attici liber annalis fuit. Quo libro usum esse Ciceronem, cum ex alii aliis multis tum ex eo maxime loco apparet, ubi Attum non solum sibi delectationem sed salutem etiam attulisse atque se quasi iacentem excitavisse profitetur. (Br. 13). In hoc libro reipublicae Romanorum historiae ab urbe condita usque ad Ciceronis tempora accuratissime examinatae et temporum ordine expositae erant, omniumque magistratuum legum, f. bellorum, foederum, quo quaeque anno acciderant, mentio facta erat. Ex Attici libro Cicero cum temporum ordinem, tum maxime illorum antiquissimorum oratorum nomina hausisse videtur, quorum nulla tradita erant scripta,

sed ex quorum in republica administranda auctoritate satis apparebat, eos in arte dicendi excelluisse. Sed non tempus solum, quo quisque vixisset Cicero in ea oratorum enumeratione spectavit. Genera quoque oratorum aetatibus distinguit, ut ipse in Bruto c. 74 dicit; totum temporis spatium, quo apud Romanos eloquentia floruerat in aetates divisit, quarum singulis singulos excellentiores praefecit, circa quos alii, qui ea aetate vixerant conglomerantur.
Tota historia in duas aetates divisa est, quarum alteri Antonius et Crassus, alteri ipse Cicero praesunt. Etiam in minoribus oratoribus enumerandis eos una collocare solet, qui indole, origine, educatione, amicitia inter se coniuncti erant. Incipitur liber a prooemio (1, 1 – 6, 25), quo Cicero qua causa et quo consilio librum conscripserit dicit. Sequitur tractatio: 6, 25 – 96, 329. Quae ex praefatione constat, qua brevis graecorum eloquentiae historia adumbratur, atque e Romanorum eloquentiae plena historia.
Ab antiquissimis temporibus usque ad Catonem Censorium ea est aetas, quae nondum historica dici potest. Propria eloquentiae historia a Catone incipitur atque ad ipsum Ciceronem perducitur. Quae magna periodus in tres partes dividenda est. Prima est a M. Catone ad M. Crassum et M. Antonium, in qua fratres Gracchi praestantissimi fuerunt oratores.

Secunda est aetas, qua primo Romanorum eloquentia aliquem perfectionis gradum adepta erat. Praeter Antonium et Crassum hac aetate L. Philippus et C. Julius Caesar maxime floruerunt. Tertia est aetas, qua Romanorum eloquentia a Cicerone in altissimum perfectionis gradum sublata est. Ea aetate post Ciceronem Hortensius primum inter oratores locum tenet.

Liber brevi epilogo absolvitur, quo Brutus commonetur, ut quam maximam det eloquentiae studio operam, ne nomen suum in ceterorum multitudine pereat.

Praeter ea quae ad singulorum oratorum vitas spectant, nonnulli in Bruto neque ii tam breves inveniuntur loci, quibus Cicero omnino de variis dicendi rationibus disputat, praesertim ut aliquas falsas dicendi rationes opprimat, quae tum Romae Graecorum doctrinis non satis accurate examinatis aut omnino non intellectis valebant. Oratores enim Romani ex quo Graecis rhetoribus ut exemplis uti coeperant, non tam Demosthenem quam Thucydidem et Lysiam imitandos sibi proposuerunt, quorum sublimem et sinceram simplicitatem admirati erant. Id dicendi genus et Romanorum indoli magis accomodatum erat, et Alexandrinorum poesios atque grammaticae studiis sustinebatur. Sed aliud est imitari velle, aliud posse. Ex sanitate, integritate

simplicitate, in quibus maxime illorum Graecorum oratorum constabat gloria, Romani ieiunitatem, siccitatem, inopiam, certe politam atque urbanam, sed non eo magis laudandam fecerant. Et cum id facerent Atticorum se sequi eloquentiam dicebant, atque cum summa superbia illud excultum Ciceronis dicendi genus tractabant, muliebrem viroque indignam eam esse eloquentiam dictitantes. Cicero vel ipse Thucydidem, ~~ipse~~ Lysiam, alios summis laudibus ornat, sed imitatores eorum omnibus suis scriptis opprimere conatur. ~~Thy-~~ e Thucydidem optimum esse imitari ait, si quis historiam ~~non~~ scribere non causas dicere velit. Minime prodesse anguste atque exiliter dicere, quo dicendi genere orator neque delectare neque commovere eos qui audiant possit. "Hoc volo, inquit, oratori contingat, ut cum auditum sit, eum esse dicturum, locus in subsellis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando ac cedendo loco, corona multiplex, index erectus. Cum surgat is qui dicturus sit, significetur a corona silentium, deinde crebrae adsensiones, multae admirationes, risus cum velit cum velit fletus. Haec cui contingant, eum scito Attice dicere, ut de Pericle audimus, ut de Hyperide, ut de Aeschine, de ipso quidem Demosthene maxime." Quod iis solum contingere potest

qui in Demosthene eiusque operibus verae eloquentiae fontem esse putent, neque tam eius dicendi genus imitentur, quam eodem modo praeparati ad magnum illud in republica oratoris munus accipiendum accedant. Non solum enim persuadendi vis, quae indoctis quidem atque inexercitatis hominibus a natura insita esse ~~poterat~~ potest, in Demosthene efficiebat, ut cum eum dicturum esse audirent graeci, e tota Graecia concursus audiendi causa fierent, sed etiam illud excultum dicendi genus, illa actio, quam tanti esse in dicendo momenti dictitabat, illa eruditio, quae orationes eius pleniores atque iucundiores reddebat. Eum igitur virum intueri opus ~~est~~ esse dicit eos qui attice velint dicere, nam cum Graecorum oratorum praestantissimi sint ii qui Athenis fuerint, tum eorum princeps Demosthenes, quem si quis imitetur, eum et attice et optime esse dicturum.

Post Demosthenem Isocratem maxime imitandum esse dicit, quem in libro quoque, qui "Orator" inscribitur summis laudibus ornat.

Praeter id pseudoatticum dicendi genus, aliud etiam, Asianum quod dicitur, Romae vigebat. Quam tumidiorem, redundantem, in repetitionibus nimiam, in salibus aliquando frigidam, in compositione fractam dicendi rationem Cicero ipse quoque iuvenis secutus erat; sed cum aliquod temporis in Graecia peregisset, Rhodi praesertim Miloni opera data, facile ea libe-

ratus ad Demosthenem sese convertit. Accedebat etiam, quod summa vocis atque totius corporis contentio, quae cum Asianorum genere coniuncta erat, valetudini Ciceronis periculum praebebat, ita ut amici et medici eum hortarentur, ut causas agere desisteret. Sed omnibus ingenii virtutibus ornatus adolescens periculum sibi potius adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putabat, et tum solum ab eo genere destitit, cum dicendi consuetudine mutata et periculum se vitare posse et moderatius dicendo maiorem etiam adipisci gloriam intellexisset. De ea dicendi ratione Cicero non tam multa in Bruto disputat, nisi eo loco, quo de sua iuventute atque educatione verba facit.

Quae libri partes ita sunt dispositae, ut longiorem quandam enumerationem longior disputatio sequatur, dein iterum enumerationes atque iterum disputationes, ne lectorum mentes rebus similiter atque uno modo exponendis defatigentur.

Ad ea quae de Bruto diximus, addendum esse videtur, ita rem in hoc libro a Cicerone tractatam esse, ut magna materiae pars, ex qua liber, qui "orator" inscribitur, compositus est, in Bruto inveniri possit. Nam non solum tales aut tales fuisse dicit oratores, sed etiam

quid in quoque laudandum, aut quid in quoque animadvertendum sit inspicit, saepe id quoque addit, quales eos viros fuisse opus esset, ut perfecti oratores fierent; ~~Ita~~ eo id facit consilio, ut diligentiores lectores quae sit vera eloquentia ~~aut~~ quique ~~verus~~ perfectus orator colligere possint.

Veram eloquentiam rem esse difficillimam demonstrat; eam esse artem, atque, sicut omnes artes, non solum bona indole, sed etiam studio atque exercitatione egere. Quodsi nemo, nisi a natura bene dicendi facultate praeditus, bonus orator esse potest, inde minime sequitur studium atque exercitationem contemnenda esse; nam sic tantum illas quinque artes adipiscemur, ex quibus vera constat eloquentia. Quae res sunt: inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Quae studia cum difficillima sint delectationem tamen menti et animo praebent, ut ipse Cicero in Bruto ait, dicendi se non tam fructum et gloriam, quam studium ipsum delectasse exercitationemque. Neque omnino ulla bona potest esse eloquentia, nisi quae magnis studiis sit elaborata. Non refert enim videre, quid dicendum sit, nisi ~~it~~ queas suaviter et solute dicere. Prudentiam denique ait esse eloquentiam. Nemo enim bene docere potest, nisi qui prudenter omnia de quibus dicat intellegat. Ut eloquentiam artem ita oratorem artificem

esse opus est, qui poetae atque histrionis partes in se coniungat. Tria sunt boni oratoris munera: ut doceat, delectet, moveat. Quarum rerum primae eruditione satisfieri potest, secundae suavi atque exculto dicendi genere, tertiae actione maxime, id est gestibus, vocis intonatione, corporis ~~mo~~ contentione, aliis; quid ut eo magis commendaret, de illo quidem Demosthenis ~~mo~~ summa cum laude mentionem fecit Cicero, quo Demosthenes ~~cum esset~~ interrogatus, quae esset prima in dicendo res, actionem, quae secunda, actionem, quae tertia, actionem, responderat.

Restat, ut de personis pauca dicamus, quae in dialogo colloquuntur.

Quamquam omnia fere, quae ad rem propositam pertinent, ab ipso Cicerone enarrantur, dialogi tamen forma libro data est. Quod tribus causis factum esse apparet. In primis, etsi vim illam, quam in Platonis dialogis admiramur, adeptum esse Ciceronem nullo modo dici potest, at maior~~em~~ saltem vigor~~em~~ et iucunditat~~em~~is ea forma libro praebetur. Tum propositum ~~est~~ erat Ciceronis, ut libro suo ~~e~~ doceret atque iuvenes ad eloquentiae studia ~~dum~~ excitaret; quod ita optime fieri poterat, ut ipsi viro gravi aetate atque optimo oratori ~~adolescens~~ iuvenis scientiae cupidus opponeretur, atque is non tam Ciceroniano dicendi generi propensus. Bruto enim ~~erat~~ est neque satis vigoris Ciceronis

orationes habere videbantur neque elegantia eius placebat.
Tertium de rebus politicis pendet. Iis enim temporibus librum suum scribebat Cicero, quibus de multis viris non tam libere dici poterat, quam id in historia scribenda fieri opus erat. Quare Cicero sibi omnino nullam eorum oratorum, qui tum vivebant mentionem facere proposuit. Sed res ipsa postulabat, ut eloquentiae Romanorum historia ad finem perduceretur, in quo temporum progressu fieri non poterat, ut C. Julius Caesar, M. P. Cato, alii omitterentur. Quare non de suo nomine illorum virorum mentionem facit, sed aliorum, quo et liberius et accuratius in eos inquirere possit. M. J. Brutum igitur et T. Pomponium Atticum Romae ad Ciceronem venisse atque petere ex eo videmus, ut de claris oratoribus verba faciat. M. J. Brutus M. J. Bruti et Serviliae, quae Catonis Uticensis soror erat, filius anno LXXXV natus est. Patre iam anno LXXVII mortuo, puerum educandum + Servilia curabat, qui anno ~~LXX~~ LVIII Catonem Cyprum secutus est. Anno LIII in Ciliciam cum Appio Claudio profectus est, ibique duobus annis post Ciceronem cognovit. Anno L primam causam egit, qua una cum Hortensio Appium Claudium, qui a Dolabella proditionis accusatus erat, defendit. In bello civili, quamquam Caesar magis ei placebat, Pompei partes amplexus est, cum se rem publicam ~~contra~~ a tyranno defendere crederet. Post pugnam ad Pharsalum commissam in Graecia aliquantum temporis litteris studebat; in Asiam postea ad Caesarem profectus illam epistolam ad Ciceronem scripsit, qua eum et prudenter monuit et amicissime consolatus est, et orationem pro Deiotaro Galatiae atque Armeniae tetrarcho habuit. Post haec Romam revertit. Stoicorum philosophiam secutus erat Brutus

quare etiam eius dicendi genus nec tam suave nec tam excultum quam Ciceronis erat; sed omnium qui tum vivebant oratorum Brutum maximae apud Ciceronem auctoritatis fuisse vel ex ~~to~~ eo videmus, quod Cicero tantas spes in eo posuit.
Qualem se Brutus in republica vindicanda ostenderit, aut qua morte perierit satis inter omnes constat.
Titus Pomponius Atticus anno CIX natus, anno XXXII mortuus est. Is fuit Ciceronis a puero amicus. Optimos aetatis suae annos Athenis peregit, ubi omnibus artibus litterisque operam dedit. Cum Romam reversus fuisset ad linguae Latinae studia conversus est, maxime autem ab amico suo M. Terentio Varrone incitatus Populi Romani historiam atque antiquitates tractabat. Arte critica valde excellebat, ita ut a Cicerone orationum suarum Aristarchus vocaretur. In republica administranda nulla re bene gesta clarus factus est. Neutrius factionis partes tenebat, quietemque in libris suis atque summum bonum quaerebat. Librum Annalem conscripsit, quo Cicero, ut supra dictum est, in Bruto usus est.
In Bruto Atticus Caesaris descriptionem facit, et ubicumque Ciceronis sermonem interrumpit, id ita facit, ut aliquid corrigat, maxime in historicis rebus, aut aliquid in Ciceronem animadvertat, cum contra Brutus ~~ubq~~ ubicumque in Ciceronis verba incidit corrigendi causa, ubique a Cicerone victus a disputatione decedit.
Ciceronis Brutus uno nobis solum codice traditus est, qui codex ante annum MCCCCXXII in urbe Laudensi inven-

ius ~~est~~ erat, atque Rhetorica ad Herennium, de inventione libros, de oratore, Brutum, oratorem continebat. Ab inventore Gherardo episcopo Mediolanum missus ibi periit, dum multa exemplaria ~~ab~~ de eo descripta ad nos pervenerunt. Sed non sunt ea primo codici in omnibus partibus similia; nam in describendo etiam corrigebantur.

Inter editiones Bruti notandae sunt: Othonis Jahni, Ellendti, Meyeri, Peteri, Pideriti.

Scribebam Kelciis Kalendis Julis anno MDCCCLXXXII

F. Siemiradzki.

18